

MATTHÆI

merito famam servabit

APELLIS

Dignum laude Virum

Musa vetans morier.

*Super Pientissimo pariter & beatissimo Excessu,
Nobilissimi, Magnifici, Strenui,
Amplissimiq;*

**Dn. MATTHÆI APPELLIS de Cöwen-
stern in Langenhoff /**

**CÆSAREI, & MONSTERBERGA-OLSNENSIS
Consilarii Splendidissimi :**

Viri

*Omnium & ingenio, & eruditione, & pruden-
tia, & pietate, & magnitudine animi, & constantiã,
& liberalitate, & candore, & humanitate, & ornamen-
tis ceteris Præstantissimi ;*

qv̄

postquam vitam suam totam
perpetuam ita exegerat,

ut

summis, mediis, infimis, charissimus ;
adversus verò, sua quidem sponte, nemini,
cunctis deniq; admirationi esset,
sævis iisdem, iisdem diuturnis à chiragrã
& podagrã doloribus fractus ac
debilitatus, tandem,

*viriculis in dies singulos minuentibus,
à suffocativo catarrho
victus, oppressusq;*

Vratislavia

anno Christiano clō Io cXLVIII.

a. d. 3. Idus Aprileis,

*qui ipse erat dies Salvatoris,
consummato nostræ Redemptionis opere,*

in sepulcro quiescentis,

eandem vitam

*à DEO & Naturã concessam
reddidit :*

*ab Amicis atq; à clientibus,
cum*

*quantum gemit & mala maestitia hic obitus sibi obtulerit,
declarandum ;*

tum

ut animum suum benevolum, gratum, observantemq;

quem VIVO debebant,

etiam SITO testificentur;

utq; laudem eximiarum propè incomparabilis

Viri Virtutum,

quantum quidem pote,

*ab oblivione hominum, atq; à posteri-
tatis silentio vindicent,*

laborandum sibi esse

intelligentibus,

conscripta

EPICEDIA CARMINA.


Vratislaviæ, Typis Baumannianis.



Accusent Parcam, quod Apollini & Orpheo,
 Apelli,
 Schlesiacæ terræ parcere noluerit.
 Non ego: Nam quid erat durare in fata Senectæ,
 Si, quæ vita fuit, carnisfina mera est?
 Nil, mea Parca, quæror, tua forfex grata minuto
 Viribus, & presso perpetuante malo.
 Nil, mea Parca, quæror; moritur benè magnus Apel-
 Qvi dudum didicit perbenè posse mori, (les
 Fortunate Virum, te nunc Ecclesia cæli
 Suscipit, angelicis associatq; Choris.
 Cesat hypophrygius tonus, illic intonat altus
 Dorius, & resonant cantica mille nova.
 Non turbare potest mentem nodosa podagra,
 Sed nunc Seraphicum detinet usq; melos.

Ita beatis manibus
 de finito corporis cruciatu,
 & occupatis gaudiis æternis
 applaudit,


ANANIAS Weber D.



Quod

Quod cunctis restat nobis, terrena relinquis
 Ac meliora petis subitò, charissime
 quondam
 Principibus, doctisq; Viris, præsignis Apelles.
 Hæc vitæ Scena est, nasciq; patiq; moriq;,
 Ordine, quo censet celsi director Olympi.
 Principibus placuisse Viris, non ultima certè;
 At summo placuisse Deo, pulcherrima laus est.

JOHAN. KRETSCHMAR,
 Reipub. Wratislaviens.
 Secretarius.




Moribus antiquis morimur ceu viximus
 omnes,

Moribus antiquis qui benè vixit ovat.
 Moribus antiquis vixit, qui sanguine Christi
 Lotus ovat, liber crimine lætus obit.
 Moribus antiquis vixit dum vixit Apelles:
 Moribus antiquis da mihi Christe mori.

Ita Symbolo defuncti
 condoluit

DANIEL WINCLERUS D.
 Cellsis, Duc. Lignicens.
 Archiater.



Dimidiâ

Dimidiâ Venerem qui parte reliquit APELLES
Pictam, Cous erat, non imitandam alijs:
Assecla qui Christi, Fidei qui cultor, APELLES,
Nobilior prisco noster APELLE fuit.
Ille etenim vanâ quæsiuit imagine laudem:
Hic variis plectris sed celebravit Eum,
Qui Fons est Vitæ, lux & mortalibus ægris,
Quiq; poli jam nunc regna tremenda tenet.
Linea sic igitur Coi celebretur Apellis:
Major is est, cui Tu, Linea, Christe, places!

*Viri meritis, memoria, nunquam,
intermorituræ, paucula hæc & incondita,
inter negocia consecrare sat agebat*

CHRISTOPHORUS Grenwalde
Lib. Baron. Milicens.
Cancellarius.

Cur plorant Musæ, luctus communis in urbe est?
In promptu causa est, noster Apollo jacet!
Dignum laude virum cur mors inopina fefellit?
Membra quidem, haut laudes mortis imago tulit.
Morte carent animæ, æternum super æthere vivunt,
Sic nunquam dignus laude suâ moritur.
Et licet exierit flamen de corpore vivum,
Liquerit & casum luce cada ver humi;
Non tamen exspirant laudes & nomen Apellis,
Dum stabit mundi machina, & astra poli.
Hoc testantur in urbe scholæ depictaq; templa,
Hocq; fugata docet frigida pauperies.

Promus

Promus condus erat, miseris succurrere gnarus,
Musarumq; choro munera larga ferens.
Non mirum doctas miserè incessisse sorores,
Et gemuisse simul carmina flebilis.
Ergo dolent Musæ, luctus communis in urbe est.
In promptu causa est, noster Apollo jacet!

JOHANN: AGRICOLA
P. & Med. D. Phys. ordina.
Vratisl.

Odolor, heu eheu effertur funus Apellis!
Quis sibi profusis temperet à lacrumis?
Ite pia Charites & pectora tundite palmis,
Vos Musæ teneras imbre rigate genas.
Et meritò: quoniam decus indelebile Pindi
Occidit, ut stellas inter Apollo nitens.
Quem DEUS ad summi pinnacula vexit honoris,
Et cui quod raris contigit, esse dedit.
Est aliquid fateor generoso sanguine nasci,
Et Proavos prisco more referre suos.
Sed decus est majus virtutis scandere collem;
In virtute Unus nobilitatis honor.
Ergo tuos cineres digno maectamus honore,
Cantamus laudes, dulcis Amicæ tuas.
Sed gemitus inter suspiratusq; frequentes,
Paucula pro meritis VIR Tibi Magne, damus.
Jam portum tua cymba tenet, propellitur Euris,
Et metuit scalmus naufraga saxa meus.

Tu

Tu praecessisti, mox Te sequar, est mihi carcer.

Mundus, at in superâ sede beatus ero.

Hic tuus exultat modò spiritus, & meus, inquit,

Seidelius mecum gaudeat, Alme DEUS.

Audiat omnipotens verbum, placidissima corpus

Occupet & claudat lumina nostra quies.

O fiat, fiat! communia nostra fuerunt

Ut mala, sic junctos gaudia celsa beent.

*Ita memoria & honori Magnifici &
Amplisf. VIRI, Amici honoratissimi,
& post mortem etiam desideratissimi
litare volui*

M. GEORGIUS SEIDELIUS

Pastor Vratisl. ad D. Bernhardini

& Præpos. ad Spiritum Sanctum.

Ad Cryptam defuncti.

Viat. **Q**uid Themis, & Charites lugent? quid Apollo, Minerva?
Hosp. *Ah nescis, cecidit quod magnus alumnus Apelles,
Principibus patriæ acceptus, clarisq; Dynastis;*

*Juris apex, sapiens, agras testudine mentes
Exhilarare potens, verbis ve ciere ligatis
Quos, & quo voluit? tanto hunc venerantur amore,
Exuviasq; lavant divino Nectare, Achilli
Quale Thetin, referunt, matrem fecisse, Poeta.*

Viat. *Ergo & ego votum super addo; quiescat Apelles
pacificè, immensum Famâ volitante per Orbem.*

MATTHÆUS PEZOLDUS,

laborum, & vitæ satur, Ætatis, supra
septuagesimum, anno quinto.

Dignus

Dignis Cæsareum factis meruisse favorem; ^{1.}
2. Principibus bene consuluisse; 3. boniq; tenorem
observasse modi, tanto in discrimine rerum;
4. quæ Germanorum cernunt bona publica dextro
judicio sciuisse notare; 5. Sibiq; per æstus
Fortunæ ambigæ varios prudentibus ausis
prospexisse; 6. DEI bonitate habuisse benignas
divitias; 7. & eas per honesto largius usu
condecorasse; 8. per egregios insigniter actus
Ingenii emeruisse sui; 9. fastigia honorum,
justo virtutum servato tramite, in altis
conscendisse; 10. Sacrum jus nobilitatis habere,
Nomine magnificosq; Hominum ire per ora per aures;
11. Post aulæ strepitum superatum libera tandem,
quæ DEUS adjungit transactis, tempora vitæ
transigere; 12. ulterius bene cultæ munera mentis
excolere; 13. eximiis conversari atq; favere
Ingeniis; 14. Servire DEO meditamine tali,
quo resonent Sacra pulchris concentibus Ædes;
15. Autores versare bonos oculisq; manuq;
16. Inde q; discursu variis de rebus acuti
judicii promississe decus, mentisq; profunda.
Hæc sunt quæ vitam faciunt vixisse beatam;
Hæc sunt quæ faciunt Morientem vivere famâ.
Hæc sunt quæ Mortem mortem horribilem esse recu-
His cunctis longè datur esse beatius Unum, (sant.
Scilicet esse DEO vel in ipsa morte fidelem.

B

Hocce

Hocce modo levis est Crux, nec dolor os sibus acris
noxius esse potest, patiendo vincitur, atq;
desinit in placidam Superatus morte quietem.


Moribus antiquis sic dignè vixit Apelles,
Moribus antiquis bene sic disoesit Apelles,
Moribus antiquis fidei sic latus in aulam
cælestem è terris, nunc gaudia summa beatus
possidet, harmonicumq; melos resonare Jého-
cætibus angelicis gestit sociatus Apelles.

*in testimonium
Christiani sui & honorificè
per ipsas Defuncti infirmitates
in & post mortem usq;*

Constantis affectus
piè sopito

hec apposuit

JOHANN. KURZMANN Wratislaviens.
in patria Ecclesiâ ad D. Mar. Magd.
Archidiaconus & Senior,
ad S. Trinitat. Ecclesiastes.



Tumulus.

Hic jacet exili tumuli VIR MAGNUS in urnâ
MUSICUS EXCELLENS, vocalis voce manuq;:
Et promâ VATES naturæ ex indole natus:
PHILOLOGUS scitus, dexterq; POLITICUS ævi:
ORATORq; potens fandi, QVÆSTORq; subactus.
Judicii ingeniiq; valens virtute gemellâ.
Artibus his meruit summæ culminâ rerum.


INDUPE-

INDUPERATORUM PATRIS GNATIq; POTENTUM
FERDINANDORUM nutus, facilesq; favores:
MONSTERBERGIACÆq; DOMUS memorabilis AULAS:
HENRICI WENCESLAI, CAROLIq; FRIDRICI,
FRATRUM pro Patriâ Vigilum tellure DUORUM,
Os, oculusq; , manusq; , & VIRTUS intima cordis:
Ac Desiderium SILVI florentis amatum,
ELISABET-MARIÆq; novellæ Heroidis ingens;
Confractus Chiragræ Podagræq; doloribus cheu!
Funeris ante sui funus vel redditus horam!
Corporis exemptus vexati carcere duro,
Sponte reposcenti celo sua dona resignans,
Ac terris famam pennâ tam præpete linquens.
Inquiris, quod ei nomen? MATTHÆUS APELLES.

Posit:

â

M. JOHANNES JORDANO,
Templi Elisabethani Vratisl.
Diacono.



Eheu! jam fecit, quod sepe minatus, Apelles,
Nobilis Aonii flosq; decusq; chori.
Certatum satis, atq; diu satis aspera morbi
Vis tremulo affixit languida membra toro.
Sed vicit tandem, placida jam morte quiescens.
Astra tenent mentem, corpus inane solum.
Illa etenim super æ Sanctorum juncta cohorti,
Dulcius Odrysiis cantat ovatq; modis.

B 2

Hornhu-

Hornbusi frustra petiit de fonte liquorem ;

Ast tibi vivificas lætior haurit aquas.

Nec nostro illius labetur pectore vultus,

Curarum expultrix Musica donec erit.

Mellifluas docti cecinit modulaminis odas,

Grata movens homini gaudia, grata DEO.

Felicem, qui sic vitam finivit in orbe ;

Ut meliore sui parte superstes agat !

Cultus & amoris E.

scripsit

CHRYSOSTOMUS Schulz

Leorin. Siles.

Mos, defunctorum, vetus est, depingere formas,
Ut memori, velut umbra, animo post funera ober
Dignior ast hominis pars, pingi nescia, mens est, (rēt,
Cujus ut eximias Dotes gens postera nôrit,
Egregiosq; Viros etiam post fata celebret
Æmula, id efficiunt vivaci carmine Musæ.
VIR pietate gravis; virtutis laude probatus
Principibus, cunctisq; Bonis; & acumine dextro
Ingenii clarus; postquam suffragia docti
Ordinis & famam sibi conciliavit & usum;
Multigenæ Sophiæ, & meritorum, plurima nobis,
Munificiq; animi, passim monumenta reliquit;
Fato concessit nuper MATTHÆUS APELLES!
Vivere desierit, num vivere cœperit, anceps
Hæreo? Deposuit corpus; Vis enthea mentis
Mortali, in cœlo, nunc pondere libera degit;

Fama

Fama per ora Virum in terris præclara vagatur,

VIRTUS NOBILITAT! VIRTUS POST FUNERA VIVIT!

MORTUUS ET VIVUS DOCET HOC MATTHÆUS APELLES.

Ita Sepulchrum Viri Nobilissimi

*& Spectatissimi debita defuncti laude,
quamvis tenui versu, mactare voluit,*

CHRISTIANUS Friderich/

J. U. L.

Inscriptio

Lapidis Sepulchralis.

Quem DEUS & CÆSAR, quem DUX & Civis amabāt,
Quem sibi FLOS JUVENUM gaudebat habere Patro-
Eximias propter tot, in uno Pectore, dotes, (num,
Sub Saxo situs est isto MATTHÆUS APELLES.
Qui mirare Viri multos unius Amores,
Quæ scripsit, dixit, fecit; lege, percipe, cense:
Mox dignum vixisse Virum jurabis APELLEM,
Quem DEUS & CÆSAR, quem DUX & Civis amarent.

Postremi & meritissimi honoris
ergo ponebat

M. HENRICUS CLOSIUS

Gymnasii Magdalenæi

Rector.

CHARACTER

Virtutis & Fortunæ

APELLEUS,

Si prægrande licet privati attollere cuiquam,
Principis ad nomen cum Majestate verendum,

B 3

Aut

Autuni Populos homini componere magnos,
Pellæi Juvenis Manes ignoscite vati,
Et tu terrarum dominans regina Quirini,
Quod vobis canitur similis MATTHÆUS APELLES.
Sicut ad Imperii statuendi culmina vestri,
Virtus tam sapientipotens victricibus armis,
Et *Fortuna juvans*, visæ contendere secum:
Ut sit adhuc anceps dubio sub iudice lis hæc,
Utri jure suo tribuatur palma Dearum?
Sic quoq; consertis manibus certare videntur
Germanæ, virtus gravis, & Fortuna, Sorores:
Utrâ vel illarum plus condonârit APPELLI?
Ingenio volucrem formavit Dædala virtus,
Obvia quò raperet quævis fastigia rerum:
Custodem memoris promum - condumq; cerebri,
Ut glomeraret opes in pectore cordis & oris;
Judicii ex æquo librata lance probatum,
Ut verum a falso, genuinum à nube coloris,
Et levia à gravibus, dextrâ distingveret arte;
Moribus artificem sibi conciliare potentes,
Ut sic dante DEO foret aptus ad ardua rerum,
Mercuriale caput, lapis æquè Lydius olim,
Ac, quantum licet, in partes quascunq; cothurnus,
Sed *Fortuna* videns *Virtutis nobile monstrum*,
Rivali sociæ livore obliqua benignæ,
Respiciens illum ridenti lumine vultus,
Contulit alma proco dotalia dona novello,
Quanta vel haut multi nostratum sorte lucrati.

Nam

Nam Patrona volens natitantem è pulvere traxit
Pistrini scholici, in vitæ civilis arenam,
Et lucem Aularum prisca è caligine noctis:
Ut sortis vicibus versis fatiq; prioris,
Ex Orpheô cantore, Amphione, Arione, Phœbo,
Harmonicus fieret rerum moderator & auctor,
Justus Aristides, Dion, Thrasylbulus & æquus,
Atq; ex Grammatico, doctoq; Palæmone Confus.
Auspicium Patrona bonum Fortuna patravit, (1620.
Dignum laude virum cum BRANDENBURGICUS HEROS
Carnovia Princeps, præspectum exciret in aulam,
Sed quam, contentus mediocri sorte priori,
Temporis ad spectu dubii renuebat acutus,
Cum ratione reservatus gravioribus actis.
At cum tempestas bellorum poné secuta
Integrum vitæ & fidei dare terga coëgit;
Profuit exilium (multis damnosius) illi.
WENCESLAUS enim princeps HENRICUS, amator
Carminis & Cantûs, mirâ dulcedine captus,
Moribus ipsius genioq; ferentibus ad se,
Inq; suam sedem profugum conduxit & aulam.
Sed quia cum ratione gradatim emergere præstat,
Quàm rapido saltu, primo *Quæstoria* nutu 1625.
Principis in *fiscum provincia* credita fido,
Et fidium, & doctæ *Directio Musica* vocis,
Hinc quia Pieriis fuerat nutritus in hortis,
Mecænasq; chori rarus, fautorq; noveni,
Principis ad jussus, urbani vota Senatûs,

Præses

Præses & Inspector scholicis præfectus agellis 1625.
 Bernstadii, Spartam, ceu fas, ornavit honoram.
 Ut simul Herculeos strictâ ratione labores,
 Doctorum exigeret, tum præmia justa laborum,
 Illis mercedem, calcar discentibus urgens.
 Nec mora: *Secretis tabulis* admovit & *Actis*
 Scribendo facilem, calamo, linguaq; valentem,
 Mercurio similem, celerem si posceret usum.
 Res properanda, catum gravium pro pondere rerum,
 Consilio lentum, res si intricata subeset.
 Et sic hæc rerum prolusio dextra minorum,
 Tutum stravit iter, fatis ducentibus ultrò,
 Nitenti ad majora viro, & dignissima tantò!
 Nam sublimis Atlas patriæ **PODIBRACIUS HEROS**,
 Sustentans humeris celum Silesidos amplum,
 Indigus huic versando operi adjutoribus aptis,
 Ac oneri cum laude ferendo allegit **APELLEM**; 1630.
 Consilio validum, candore fideq; probatum;
 In cujus gremium curas deponeret omnes,
 Ac *Arcana Domus*, patriæq; *Æraria terræ*, 1632.
 Huic ut Aristidi justo committeret uni.
 Temporis & patriæ prudens, & principis Ille, 1635.
 Fortunæ asuetus, suadendi noverat usum.
 Liber in ore, animosus pectore, mente modestus,
 Mille vada effugiens, scopulosq; hoc æquore cætum:
 Ad quos, multorum suasoria navis obhæsit;
 Luna suo veluti Soli jubar omne refundens,
 Consenuit gratâ felix & salvus in aula.

Donec

Donec defessus meritis **PODIBRACIUS HEROS**,
 Et vitæ secliq; satur, tam præcoce fato
 Præmesus, terris revocat^o, abiret Olympum, 1636.
 Et *Fratri* navis clavum rellinqueret uni,
 Ostendens ipsi digito quasi Nestora **APELLEM**.
 Quem *Fratri* monitu *Frater* quoq; sumsit *amicum*.
 Exitus hunc longè diversus mansit **APELLEM**;
 Ac illum veteri similis cognominis ævò,
 Qui prius in vasto Caput Hellados orbe Secundum,
 Proximus à magno Macetum Rectore Philippo;
 Horæ momento turbatus culmine celso,
 Desertusq; suis, regali exclusus ab aulâ,
 Protractusq; domo, tenebroso carcere clausus,
 Vindice divinâ Nemese, cervice resectus,
 Fugerat Orcivas nimis indignatus ad umbras.
 Sed fortuna novo ex merito virtutis, **APELLI**
 Diva favens, pridem titulis, & honoribus auctis
 Præmeditans, plures titulos, superaddit honores.
 Divus enim **FERNANDUS** ibi pro more sagacis
 Judicii, veluti fons nobilitatis equestris,
 Contulit huic equitis jus atq; insignia veri, 1634.
 Consiliisq; suis quæsitum ascivit *amicum*. 1635.
TERTIUS AUGUSTUS, Patri Cognominis alto,
 Imperii potiens, regnorum maximus Hæres,
 Vivaq; [quod majus] Virtutis imago paternæ,
 Omnia jura probo concessa probavit **APELLI**, 1637.
 Et *Consultoris* concessit nomen & usum.
 At, licet & Virtus, Soror & Fortuna merenti

C

Pleraq;


Pleraq; contulerint homini momenta bonorum,
Una *Valetudo* postremis defuit annis.
Nam nodosa *Chiragra* Viri, & lapidosa *Podagra*,
Membrorum nervos populata, & corporis artus,
Et morbis morbos cumulantes agmine denso,
Accelerare citam visæ sunt funeris horam.
Ipse tamen *Sapiens*, celi nunc sede receptus,
Præcepit vivus mortem fatumq; futurum,
Ac veniens tandem lætis amplexus in ulnis,
Justa, bonum nomen, naturæ debita solvit,
Sponte suâ celo data in usum dona resignans.

Interea *Aoniæ* cumulabunt munera *Divæ*,
Munera præcipiti nunquam morientia vere,
Perpetuos flores, sed natos vertice *Pindi*,
Et tumulum facient signatum *Epigrammate* tali:
QUEM VIRTUS MAGNUM FECIT, FORTUNAQ; FAUTRIX,
HEIC JACET, EX UMBRA, DUCE FATO, AD CULMINA
VECTUS;

CÆSARIBUS GRATUS, PATRIÆ SUMMATIBUS APTUS,
MUSICUS, ET VATES, HORUMQ; PATRONO, APELLES,

*Leviculo calami penicillo
adumbratus à*

CHRISTOPH. COLERO.



Παρωδία ἐπιχίδιος

ad Od. VI. Libr. I. Carm. Horatian.

Dicetur *Viadro* clarus, & Imperi
Germanum, celebri Nomine, Nobilis;


Quâ

Quâ virtute cati consilii, Ducum
Slesja, Rem benè geserit.
Nos, post *Fata*, neq; hac dicere; nec piam
APPELLIS *Sophien*, fallere nescii;
Nec vim mellifluam carminis optimi;
Nec plenam *charisin* Domum,
Conamur, tenues grandia: dum *Pudor*,
Imbellisq; Lyræ *Musa* potens, vetant
Laudes egregii *Consiliarii*,
Culpâ deterere *Ingeni*.
Quis Consum, dubiâ re *Patriæ* utilem,
Dignè dixerit? aut flexanimi *Lyrâ*
Claram *Melpomenen*? aut ope proprii
Nisus, *Pasitheæ* parem?
Nos vestigia, nos vota, perennium
Mox jungi cupidi *Millibus* *Alitum*,
Felices sequimur; sive quid asperi
Numen nos jubeat pati.

Honoris, & piæ *Memoriæ* ergò

L. M. Q. scr.

M. VALENT. KLEINWECHTERUS,



Eheu quam subitò, voto *Vir* *Magne*, bearis
Effuso, ad tumulum *Sauberti* morte peremti!
Non etenim superesse magis, sed funera *Amici*
Insequier, cæliq; domos remeare vovebas,
Hunc vitæ finem *Tibi* præfagisse sagacem,
Mentem quis dubitet? Nam quantò sunt propiores


C 2

Morti

Morti homines magni, tantò quoq; certius illi
Divinare solent, ipsisq; futura videre.
Rem pulchrè cecidisse quidem *Tibi* credimus omnes.
Nam non *Saubertum* tantum, sed millia multa
Ora beatorum, *Triadem* quoq; *Sacrosanctam*,
Inter delicias cœli, sine fine videbis.
Ast nos expostos rumoribus atq; periclis
Belli perpetui, & vario in discrimine linqis,
Afflictasq; *Tuo* res nostras funere reddis.
Verum numne *Tibi* hanc sortem invidisse decebit?
Non Non. Sed potius *Te* dicimus esse beatum,
Atq; *Tuis* meritò gratamur carmine fatis.

CHRISTOPHORUS Kühn

J. U. L.



Tumulus.

Qvem deflet passis *Euterpe* pulla capillis,
Non unius quem luget aula *Principis*;
Hac aptus mortem sub mole quiescit *Apelles*,
Apollo certus & patronus exulum
Ingens *Pieridum*, quas mente fovebat amicâ,
Non ore saltim, non inanibus logis;
Haut istis similis, qui nigra in candida vertunt,
Noti caninâ civibus loquentiâ.
Moribus antiquis, quis aurea claruit *Atas*,
Vivebat, æqui simplicis semper tenax;
Sed tamen & cautus, cum res poscebat *Ulysem*
Tractare gnarum *Principum* negocia.

Sic

Sic meruit titulos laudumq; emblemata, *Lethe*

Qua nulla perdet, nulla temporum mora.

Nam non hæc pinxit specioso dextera *Coa*

Fuco sacris figenda templorum tholis:

Fama sed astriferis transcripsit clara theatris

Spestanda planè subsequis nepotibus,

Qua *Leo* siderius fulget prope *Virginis* astrum,

Æquâ cuiq; lance quæ jus dividit.

Sed tu, qui transis, Manes venerare, *Viator*,


Tumbamq; lauri fronde macla nobilem.

Nam potior nobis est *Umbras* silentis *APELLIS*,

Quam tinnuli tot hujus ævi *Apollines*.

Incomparabili Litterarum Littera-
torumq; Patrono ponebam

M. JOHAN. FECHNERUS.



Ecloga Dialogistica 2. Amicorum,

super obitu Magnifici Viri,

Dni. *APELLIS*.

Quis novus exanimat te tristem luctus, amice,
Tot sibi singultus, animi & compunctio quid vult?
Tristior es solito & multum mutatus ab illo,
Certè justa tui mœroris causa videtur.
Fortè doles pravos mores & tempora iniqua?
Arida lingua meis præ luctu faucibus hæret,
Præ nimis lacrumis oculusq; rubescit uterq;
Lugentem imò loqui piget & vix dicere possum,
Quanto cordolio sum & luctu affectus acerbo.

C 3

Vita

Vita exosa mihi est hoc tristi credito casu.
Ipsi alias libri dulces & carmina sordent.
MORIBUS ANTIQVIS collapsis vivere tadet,
Cum Censore suo Hi periisse videntur Apelle,
Quem bene si nosti ceu fortem ex ungue Leonem
Cum prudente Viro Hoc cecidissee fateberis unã
Doctrinã lumen, decus ingenii atq; leporem;
Quem Desiderio Pacis flagrasse liquebat,
Exspirare prius Sol tristis vidit Eundem.
O vanas hominum spes! ô planè irrita vota!
Eheu cur nobis non tam licet esse beatis,
Aureã ut in terris securi pace fruamur!
Contigit ante diem multis bello occubuisse;
Plures Mors rapuit, bona quos spes Pacis alebat.
Nondum ergò satis est effusum sanguinis orbe,
Qui tamen innocuus manavit fluminis instar.
Undiq; tempestas Belli nos fluctibus urget,
submersos tandem, ut metuendum, ne tegat unda
Tempore ni justo dederit miseratus Jova
Pertæsis Belli Pacis prænobile donum.
Disce tuum luctum moderari, plangere cessa,
Felix, cui datur hoc ita seculo obire beatè.
Tranquillum ad portum satagens appellere Apelles,
Anxiè anhelavit, subiit sed letior Illum.
Ceu Leo tuta tenet nunc victis hostibus astra.
Illic ex voto jam perpete pace potitur.
Plura tamen gestit Mens scire audireq; grata
De cursu vitæ, tu ne memorare graveris,

Delectat

Delectat sanè tristem meminisse beati.
Summã judicii pollentem dexteritate,
Felici inprimis fundentem carmina venã,
Et facili metro numerantem tempora & annos
Audiit & stupuit doctorum culta caterva.
Templa DEI laudes Huic, non sine laude canenti,
Applausere, eadem resonabunt sed magis olim;
Quæ monumenta sui modulatus sacra reliquit.
Certè natus erat studiisq; scholisq; fovendis.
Auctor discenti pubi, Fautorq; Docentum.
Assiduus monitor recti & dissvasor iniqui,
Virtutum cultor, vitiorum acerrimus osor.
Justitiæ assertor, sapiens consultor in arctis.
Hunc ad consilium adscivit sibi Cæsar uterq;
Hunc biga Illustris fratrum suspexit ut Oclum
Heinricus Carolusq; pii præcelsa propago,
Monsterbergiacum quæ clausit stemma virile,
Hunc fecit magni Succesor Sylvius, altum
Wûrtembergiacis montem qui montibus unit.
Hunc Aula est venerata suum ceu Nestora cautum,
Hujus amicitia delectabantur aperta
Singuli, Honestatis rarus quos imbuit ardor.
Hoc fido est Heros Tschammerius usus Achate,
Elegit cujus lateri quoq; corpore jungi.
Quem vivum dilexit, cum post funera luxit.
Ipse memor Lethi Sauberto justa dat, æquè
Vicinus morti, quam mens præsaga videbat.
Grata Ministerio officia Hunc præstare juvabat,

Ædibus

*Ædibus in sacris ornandis totus erat Vir,
Quæq; DEI cultum decorant, curavit abunde:
Nemini amicorum solamine defuit unquam;
Consilio promptus, sed opem omni ferre paratus,
Indigus & dignus qui censebatur ab Illo.
Pœnituit nec Eum benefacta locare in egenos.
Condoluit passis, tristis cum tristibus, æquè
Se cruce defessum solari noverat Ipse,
Sustinuit vicitq; graves tolerando dolores:
Cum desiderio Mortem expectabat amicam,
Apprendens certam jam speq; fideq; coronam.
Degit O vans cælo nunc quò aspiraverat antè.
Non est quod nimium doleas in funere Tanti
Tam clariq; Viri, quem nulla oblivio tollet.
Nomen Apellis enim grave Lethi creditur expers;
Ejus semper honos & laus post funera vivent.
Huncq; mori vivax Tscherningi Musa vetabit:
Dignum laude Virum Major maerabit honore,
Quò par est, nostræ non laudis eget sed amoris,
Qui cesaturus hâc luce superstite nunquam.
Nobilis, ingenii qui claret dotibus, Ille est,
Lumen inextinctum est, quod clarâ accenditur arte
Doctrinæ radiis obscuraq; vita coruscat.
Immortalis Is est quem Virtus eximit ævo.*

Nach wer kan die Zeit
Doch genug beklagen
Kaum für Traurigkeit
Kan man es recht sagen/

Wie

Wie es jezo gehe zu
Da der Fried vnd süsse Ruh
Vns so gar verlassen/
Vnd diß was wir hassen
Krieg vnd schwere Landes-Plag
Vns nur ängstet Nacht vnd Tag.

^{2.}
Nach dem Friede Wir
Sehnlich schreyen vnd ruffen:
Nur es scheint schier
Sein vmbsonst das hoffen
Ach wieviel sind derer Todt/
Die vmb Friede stets bey GOTT
Eysfrig gehalten.
Ihr müßt auch erkalten
Hoher Geist eh' Ihr erlebt/
Daß das Land im Friede schwebt.

^{3.}
Ach wie brünstig war
Ewer Frieds-Verlangen
Mit dem Wunsch das Jahr
Habt Ihr angefangen/
Vnd beschlossen auch die Zeit/
Ihr habt nicht gefehlet weit.
Angst seid Ihr entnommen/
Vnd zur Ruhe kommen/
Ewer Bitt ist Euch gewehrt/
Rechter Fried ist Euch beschert.

D

Durch

4.

Durch so sanfften Todt
Ist Euch wol geschehen/
Vnsre Krieger Noth
Dürfft Ihr nicht mehr sehen/
Vnd nicht fürchten die gefahr/
Die vns wil verderben gar/
Nichts kan euch mehr schaden/
GOTT hat Euch entladen
Von der Krieger Last vnd Qual/
Vnd gesetzt in Friedens Saal.

5.

Ach wenn vns auch GOTT
Wolte so Befreyen/
Vnd nach Krieger Noth
Fried einmal verleyhen/
Weil wir müssen leben noch/
Vnd hier ziehn des Creuzes Joch.
Besser Seelig sterben/
Als durch Krieg verderben.
Wer den Fried erlangen wil/
Richt auff GOTT sein Lebens Ziel.

*Suo Domino Evergetæ summo, quondam Præsidi & Scholarchæ
Illustris Scholæ Bernstadiensis, nec non Compatri desideratis.
ex intimo συμπαιδείας affectu lugens apposuit*

CHRISTOPHORUS TITIUS
olim Scholæ Patriæ Bernstadiensis
Rector, nunc temporis Pastor
Paschkervvicensis in Ducatu Olsnensi.

Hei

Hei fuit, ignitus Virtutum Fulgor, Apelles,
Illud nobilium nobile Plasma Virum!
Ingenium cuius non ingeniosus Apelles
Pinget, non Dotes Suada diserta canet.
DIVUS quem CÆSAR, gemini quem PRINCIPIS AULA,
In Consis meritò jusserat esse suo.
Sed fuit, & tanti Fulgorem Nominis omnem,
Nubila nunc parvi Cespitis Umbra tegit.
Immo fuit, quicquid Virtutis, quicquid Honoris
Judiciq; Viri quicquid ab arte fuit.
Sic forsàn dices, qui nescis plura videre,
Quàm tua quæ Capitis Pupa videre valet.
Ast erras. Tumuli tegit Umbram Corporis, Umbra;
Sed Mens & Mentis Dona perenne vigent.
Mens viget ante DEUM superis admista catervis:
Hic Mentis Dotes FAMA loquetur anus.
Quid quæris? Tumulus quæ condit Corporis Ossa
Virvent, cum magni Vox resonabit HERI.
Ergo fuisse cave dicas, qui dicis, APELLEM.
Non fuit: est, cui Mens, Nomen, & Ossa vigent.

Debiti honoris ergo
faciebat

M. CHRISTOPH. Schults
Gymn. Magd. Collega.

Diditur, & meritò, divini rumor Apellis,
Quem vehit hinc niveis, quæ patet Orbis, equis.
Lux etenim Graphics sic hunc claraverat artis,
Artificem ut tulerint secula nulla parem.

Picta *Anadyomene* loquitur, quam parte reſectam
Læsâ nullius dextra ſequeſtra dedit,
Mixtaq; *Nympharum* populo *Diana* licenti,
Quêis Te *ſingentem* vicit *Homere*, probat.
Teſtis *Amyntiades*, *Ephesini* gloria templi,
Qui pretium modio reddidit, haut numero.
Teſtis eſt *Antigonus*, dextro qui lumine caſus
Artificis vitium diſſimulavit ope.
Et, qui, quod primas retuliſſet ab arte peritis,
Thoracatus Eques dicitur *Antigonus*.
Sic *Samus* *Abronem* fertur, *Cariumq; Menandrum*
Ejus & *Ancæum* tum ſtupuiſſe *Rhodus*.
Ut taceam *Bronten*, *Steropenq;*, *Ceraunobolonq;*,
Quæ dedit, artificio non imitanda manu.
Quid? quod & ex uno digitum ſe tollere ductu
Protogenes, princeps artis *agalma*, putat.
Nempe *Canon* alias *Polycleti* utut ornet, at illis
Nefcio quæ ſemper fertur abeſſe *Charis*.
Aſt famâ *Cous* victrice triumphet *Apelles*;
Re patrius tamen hic in meliore niter.
Quippe tot hunc *Animi* Noſtrum, quot *Corporis* olim
Grajugenam dotes condecoraſſe liquet.
Hinc tot *Principibus*, quæ laus non extima, raro
Judicio placuit *Conſilioq;*, *Viris*.
Accivere ſuum ſibi *Divæ Palatia* Conſum,
Conſiliis quibus haut inutilis Autor erat,
Fertur hic in dubiis *reſponſa ſalubria* rebus
Monſterbergiacæ ſæpe tuliſſe domû.

HENRICUS didicit, *Patriæ Pater*, inclutus, exin
CAROLUS *Oſſenæ Duxq; Paterq; rei*.
Nec negat hoc *Soceri* Succesor *Sylvius*, altæ
Wûrtembergiadum, gloria prima *Domûs*.
Fidus enim, *patriæ prudens*, utriusq; peritus
Fortune, *constans*, *Liber*, & uſq; *pius*;
Nec, qualis *Macedo* *Perſei* perhibetur *Apelles*.
In fratrem fraudis conſcius Autor, erat.

(Vid. Liv. Dec. IV. Lib. X. p. 722. A. & 735. B. & Dec. V.
Lib. II. p. 751. B.)

Sed velut in *Graphice* *Cous* ſibi plauiſit *Apelles*:
Sic *Noſtrum* in cœlos *Calliopea* levat.
Sive etenim *cantu* quicquam, ſeu dicere *verſu*
Mallet, is *Artificum* puncta ſubinde tulit.
Hei mihi, quàm *rarum* pariter *Virtutis & Artis*
Instar! at heu! heheu terq; quaterq; ! Fuit !

Nominis *Apellei* à morte quoq;
Cultor devotiſſ.

ſcrib.

JOHANNES GEBHARDUS
Gymn. *Eliſab. Vrat. Coll.*

Scilicet in mundo, quisquis maſtatur honore,
Atq; Bonis magnis, magnus habetur Homo.
Magnus eſt, fateor, major vel maximus ille,
Talia cui ſunt hæc, cum pietate, Bona.
Cum primis, quantum pote, ſi ſine crimine vitam
quem juvat in mundo hoc ducere ritè ſuam.

Sunt Bona dona DEI, quæis qui benè noverit uti,
Utitur &, magnus certè erit ille Bonis.
Sed magnus, major vel maximus ille putandus,
in DOMINO placidè qui moriturus obit,
In DOMINO MAGNO qui, vivus in orbe caduco,
perpetuò posuit spemq; fidemq; suam.
Hæc meditans secum mactatus honore Bonisq;
faustiter APELLES clausit in orbe diem.
Interris igitur meritò mactandus honore,
Funera post Virtus nam quoq; viva manet.
Hinc etiam, benè qui dum vixit in orbe pieq;
Magnus & ante DEUM vivit in arce poli.

Honoris mactandi
juxtim ac
Moeroris testificandi e. scrib.
DAVID PIGRITIUS P. S.
Gymn. Magdal. Coll.

ORbe semel toto coierunt cornua lunæ,
(Si fortasse meum non meminisse labat)
Aurigabatur medio jam Phœbus Olympo,
Cum dignor, Semo, figmate forte tuo.
Hic ego nectaream vini damnare salivam,
Req; cibi lauta pellere nolle famem.
Sermones solos suspensis auribus edi,
Consperfos Sophiæ Pieridumq; sale.
Quin & mentem animi cantu exhilarare parabas,
Præfica, ceu cygnus, funeris ipse tui.

Stultus

Stultus Apollinæ gallum debere putabam
Proli te, extractum limite Morboniæ,
Extemplo mecum suppressâ voce loquebar,
Evax! Parcarum vicimus invidiam.
Non frustra Divum genua incerata tabellis
Sunt nobis, ultrò tristitiæ nebulas.
Ha! citò res vertit. Vix mala illata videmus,
Morbus fatalis cum remeare parat.
Imperat hic ægro: collectum tradito vasa,
Atq; profectus eas, unde redire nefas.
Hinc est, ut lacrymis madeat nunc omnis amaris,
Has gemitus causas, has ululatus habent.
De me; stat vacuo nunc bellum indicere luctu,
Non quod ego reliquis durior esse velim.
Sed meritis omnem doctorum implese coronam,
Principibus multum complacuisse viris,
Vexatum morbo tantos vixisse decembres,
Jamq; aptum superi lucida templa Jovis,
Remigio ingenii superam volitasse per æthram,
Qui posim hanc fletus credere materiem?
Quare aliis lessum lachrymasq; litemus. Apelli
Vitam non rapuit, sed Libitina dedit.

DANIEL SARTORIUS.

Si lacrumis decorandus obit vir CLARUS; APELLES
Eximius certè collacrumandus obit.

At

*At si flere nefas, quem Fama perennat: APELLEM
Victurum quævisnam sic obiisse fleat?*

Debit. Observ.


E.

adponeb,

BERNHARDUS Breitschwert

Freudenthalens. Siles.

Gymn. Elifab. Coll.



Terrenæ patriæ decus amplum, appellit, APELLES,
Cœlestem patriam, mortem obiens placidam:

Vir, quem primæ vâ Musa poliére juventâ,
Ornantes variis artibus ingenium.

Hinc Procerem legit aula sibi, dignumq; potentum,
Clarorumq; virum fingit amicitias.


Ejus quæ fuerit pietas, monumenta relicta
Hac Urbe ostendent, dum pia posteritas.

Despiciens nunc ille soli cantusq; chorosq;
Angelicos inter psallit ovatq; choros.

Observ. & condol. E.
poneb.

CASPARUS Hoffman

Gymn. Elifab. Collega.



Tempore, quo festi celebrans Paschalis honorem,
Imperio Christi turba dicata, canit;

Per Dominum celebri mors est absorpta triumpho,
Victaq; jam stimulum perdidit illa suum.

Tem-

Tempore eo rabies, quæ pungit & enecat omnes
Mortis, MATTHÆUM iussit abire solo.

Ast ægrum saltim rabies ea corpus ademit;
Detraxisse Viro nomen in orbe nequit.


Quin & vis animæ sanctæ super æthere vivit,
Cum superumq; choro hoc carmen in axe canit:

Et mihi per Christi donum Victoria parta est:

Pro quâ sit summo gratia lausq; DEO.


Obitum EXIMII virorum mihi quoq;
nimis præproperum lugens
scribent.

JOHANNES DANIEL MAJOR
Vratislav.



Lectori Benevolo S.

UT duorum subsequentiū Auctorum Carmina iusto,
tardius operæ acciperent typographicæ, partim lo-
corum intervallum, non illud quidem adeo magnum, sed
intervallum tamen fecit; partim ab occupationibus remo-
ra. Quasi igitur suis quæq; locis destituta essent; ita,
quæ tua sapientia est & humanitas, illa in his quoq; postre-
mis legas sedibus, & valeas.



Quæ tibi defuncto funebria munera solvam
Integer Apelles, pro pietate tuâ?

Pro meritis in me studui decorare Camoenis
Æternis tumulum, Vir venerande, tuum.

HIC sItVs est phoenIX ApELLES, MagnVs ApELLES:

QVI Ingenlô CVnCro & CognItVs arte Viro.

E

Apel-

Apelles ligt althier an dieser Stell begraben?
Ist jemand der da wil noch besser Nachricht haben?
Apollo / an Verstand vnd Kunst Ihm weichen must/
Die Musen auch an Ihm selbst hatten ihre Lust.

Ad Dominum Daniele[m] à Tarnau, Se-
natorem Reipubl. VratisL. Amplissimum,
Patronum meum honorandum.

Nunc descendus erit nec non tumulandus Apelles!
Flebimus hunc, rarum ceu decus atq[ue] pium.
In Violis, tenerisq[ue] rosis tumulabimus illum,
Sic bene ceu Phœnix hic tumulatus erit!

Ita Honorem doloremq[ue];
testabar,

DAVID BOHEMUS Ecclesiæ Bern-
stadiensis aulicæ & oppida-
næ Pastor.

APELLEUM A MUSIS MONUMENTUM.

MATTHÆO (ô cunctis dilectum nomen!) APELLI
Ille dies venit, fuerat quem *Mæra* profata,
Quid tibi dicam, homines DEFUNCTUM flere, Viator?
Si quod numen habet tam decantatus *Apollo*;
Si vox *Pieridum* non sensu est cassa sororum;
Ipsus *Apollo* dolens cernit, præ luctibus atris,
Quantuscunq[ue], patet, *Heliconæ* senescere totum,
Quod possunt fecisse tamen, *Præsēs*q[ue], *Chorus*q[ue],
Parnasi statuunt monumentum vertice in ipso,
Et ventura VIRI TAM CLARI sæcula nomen
Egregium meminisse jubent, titulosq[ue] perennes.

Apollo

Apollo.

Cujus. LAUS. FUERIT. MERITIS. ANGSTIOR. OMNIS.
UNICUS. HEIC. SITUS. EST. SAPIENTUM. FACTOR. APELLES.

Clio.

MATTHÆUS. JACET. HEIC. QVO. NIL. HUMANIUS. IN QVAM.
NIL. MELIUS. TOTO. VIDIT. SOL. AUREUS. ORBE.

Melpomene.

QVOD. JACET. HEIC. FUERAT. DOMUS. HEIC. HABITARAT. APEL-
MENS. ABORIGINEOS. MORES QVE. FIDEM QVE. SECUTA. (LIS.

Thalia.

LIBRO. DELICIAS. MAJAS. CONSCRIPSIT. APELLES.
FAMA. VIRI. MAJIS. FLOREBIT. SVAVIUS. HORTIS.

Euterpe.

QVE. CORPUS. MAGNI. MORS. SUPPEDITAVIT. APELLIS.
NOMINIS. HANT. CLADES. HANT. EST. OCCASIO. MENTIS.

Terpsichore.

TERRA. POLMS QVE. FAVENT. OBITO. CLEMENTER. APELLI.
ILLE. ANIMAM. EXHILARAT. FOVET. HÆC. CUM. CORPORE. FA-

Erato.

MUSA. FACIT. CELEBREM. MERITO. POST. FUNUS. APELLEM.
CHI. VIVO. SOLA. ARRISIT. PELLACIA. MUSE.

Calliope.

ÆTHERE. LUCIFERUM. VIDISTI. SURGERE? TALIS.
EXIMII. SED. CITRA. OBITUM. LAUS SURGIT. APELLIS.

Urania.

TERRA. PRIUS. PELAGUS QVE. ET. OLYMPUS. TRANSIET. ALTUS.
QVAM. DOCTORUM. ANIMIS. LABENTUR. APELLIS. HONORES.

Polyhymnia.

ANTE

*ANTE. ASINUS. CERVUM. JOVIS. ET. TESTUDO. VOLUCREM.
CARMINE. APPELLAS. QUAM. LANDES. ASSEQUIAR. OMNES.*

His Pater Aonidum, Aonides his versibus ipsa,
Exornare SUI tumulum studuere PATRONI.
Queis etiam ipse, VIRI sincerum expertus amorem,
(Quamlibet argutos inter strepere anserem olores
Me norim) accedens, hoc carmine maesto sepulcrum:

QUI. JACET. HEIC. (MITES. MORES. EXTOLLE. VIATOR.)
NOMINE. MAJOREM. NON. RE. DILEXIT, APELLES.

PATRONO AMICOQUE,
Singulari, nec, nisi cum paucis, comparabili,

VIRO, cujus,

quantumlibet in fortunis,

Si rem valetudinis exceperis,

pollucibiliter florentibus,

VIVERE nil fuit aliud, quam

NUMEN quidem corde VENERARI;

HOMINIBUS verò,

pro re natâ, proq; divinitus concessâ copiâ,
liberaliter, non candidè solum,

INSERVIRE, CONSULERE, AUXILIARI;

hoc funeris officium, quod

non solum ex meo voto,

sed & ex HOMINIS VERE SEDULI promisso,

mihiannis majori iti præstitum speraveram,

reddere volebam

M. Elias Major, P. L. C. Gymnasii

Elisabetani Vratisl. Rector & Profes-

for, cæterarumq; ibidem schola-

larum Inspector.

